



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

V. Superioris instituti prosequutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

aut conclusioni veræ ob aliquam præmissam verisimilem quidem, reuera tamen falsam intellectus assentitur: his enim euentis conclusio est vera aut falsa ratione sui solius obiecti, non vero obiecti propositionis præmissæ, quod cum representetur sicuti est in se, quomodo potest tunc conclusioni falsitatem aliquam impertire? cum vè, hac existente vera, illud representetur aliter ac est reapse, quo pacto eiusmodi veritatem constituere sustinet? Adice, quod plures aduersarij logicam etiam vntem omnino practicam esse velint; quam immeritò tamen; capite sequenti clarebit.

39

Tertia sententia est, logicam esse partim practicam, partim speculatiuam. Ita Suarez disp. 44. Metaph. sect. 1. 3. num. 54. Vazquez prima parte q. 1. art. 4. disp. 9. c. 1. num. 2. Compton. di. p. 10. log. sect. 6. Hurtadus disp. 2. logica sect. 2. & disp. 9. §. 2. Rubius q. 5. proœm. Conimb. q. 4. proœm. art. 5. per totum Louanenses. q. 15. in Porphyrium. Quorum tamen aliqui putant, logicam dicendam esse absolute & simpliciter practicam, propterea quod etsi speculationibus intermixta sit, eius tamen finis sit praxis, & hæc primas in ea partes sibi vendicat: alij contra vtramque denominationem eis ex æquo conuenire. Hanc autem dissensionem non de rerum qualitate, sed de verborum comprehensione arbitror; eos vero rectius loqui; qui admissis variis habitibus dialecticis, quorum alij sint practici, alij speculatiui, aut concessa eidem simplici habitui respectu diuersorum vtraque illa denominatione, logicam totam præcisè & simpliciter practicam dicendam esse existimant. Vt enim supra sæpe sæpius animaduersum ex doctrina Aristotelis lib. 3. de anima cap. 10. & 2. metaph. cap. 1. finis est qui potissimum scientias specificat, & practicas vel speculatiuas denominat. Illud autem in superiori sententia, etiam penes id quo rem ipsam tangit, & seorsim ab appellatione totius dialecticæ, vnde petenda sit; mihi magnopere displicet, quod plerique eius authores arbitrantur logicam etiam docentem reuera practicam simul & speculatiuam esse. Huius enim contrarium longè probabilius ac verius est, vt cap. sequenti ostendemus.

40

Quarta sententia est, dialecticam nec esse practicam nec speculatiuam. Ita Pererius lib. 1. phys. cap. 3. ad eius finem, Zabarella lib. 1. de natura log. Petrus Niger quaest. 14. Clypei & alij. Enimuero hæc opinio, quantum ego opinor, ceteris est inuicibilior. Atque in primis æqui bonique non consulo, quod aiunt aduersarij plerique, dialecticam nec artem nec scientiam propriè esse, inde inferentes fieri non posse, vt practica vel speculatiua sit, & non potius instrumentum quoddam, cuius præsidio ceteræ facultates vel speculentur vel practicè cognoscant, artifice aut scientiæ rationem obtineant. Quod enim logica sit ars quod etiam scientia cap. præc. satis probatum manet. Adhæc, quod supponunt contrarij, solam artem aut scientiam propriè sumptam esse posse practicam aut speculatiuam, id à me nunquam impetrabunt: quidni enim facultas quauis intellectualis, vera si sit, & opus aut otium ab opere finem habeat, practica aut speculatiua esse queat? quanquam nec ars sit, nec scientia, propriè & strictè: qua ratione multi non solum scientiam strictam & ab Aristotele definitam, sed etiam artem præsumptam, respectu creaturarum creatori negant: propterea quod eiusmodi artem cum periculo erroris coniunctam, & eius præcauendi gratia inuentam existiment? Nihilominus scientia Dei de creaturis practica est aut specula-

tiua, prout eas factas aut faciendas representat: Tametsi ergo logica (quod falsum arbitror) propriè, & rigorosè nec sit ars nec scientia, at practicam vel speculatiuam eam esse oportebit. Item tertio nodum mihi videtur in scirpo querere, qui in aliqua disciplina, quæcunque, sit medium disquirat inter duas illas denominationes, eique neutram illarum congruere retur. Aut enim eiusmodi facultas dirigit ad executionem sui obiecti, aut non est ita directiua; aut sistit in eius contemplatione, aut vltius progreditur: vtrumcunque autem eligas, necesse est, eam practicam, aut speculatiuam esse fatearis. Denique Aristoteles in nulla disciplina, res sibi subiectas, prout sunt, cognoscente, istiusmodi medium agnoscit: quin imo illud reiecit 6. Metaph. text. 1. *omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est.* Porro, vt constabit in loco, per actiuum & factiuum intelligit practicum: hoc ergò adequate distinguit contra speculatiuum, eique immediatum esse putat, aliàs diuisio ab eo tradita inadequata & insufficiens esset, neque omnia inferiora comprehenderet.

CAPVT V.

Superioris instituti prosecutio.

41

Hactenus vidimus qua ratione alij de modo representandi practico & speculatiuo logicæ sentiunt. Sed bona cum illorum venia, dico primò, logicam docentem, hoc est eam quæ præcipit, quo pacto possimus definire, diuidere, argumentari, aut alitercunque veritatem rerum assequi, practicam omninò, & nullatenus speculatiuam esse: Item secundo logicam vntem, si est docens cum respectu quodam superius explicato ad alias scientias, prout etiam practicam esse: Rursus tertio logicam vtentem, sumptam pro ea parte dialecticæ, quæ definitionem, diuisionem, & argumentationem in particulari, ac certa quadam materia cuiusvis alterius scientiæ faciendam considerat, esse itidem ex toto practicam. Præterea quarto logicam vntem, prout modum sciendi existentem & factum intuetur, partim esse practicam & ex parte speculatiuam. Deinde 5. logicam vntem, acceptam pro ea portione dialecticæ, quæ res secundum esse physicum, & earum prædicamentorum constitutionem respicit, esse ex integro speculatiuam. Post hæc sextò logicam vtentem, si sumatur pro actibus & habitibus aliarum scientiarum, prout à logica directis, aliquando esse omninò practicam, interdum omnino speculatiuam, & nonnunquam mixti generis, simulque practicam & speculatiuam: nam triplicem hanc varietatem subeunt aliæ scientiæ quæ logicæ præceptis vtuntur. Denique logicam, prout est vtens ac docens, & res penes earum esse physicum & prædicamentale, sobriè quidem, & parcè, secundas vero intentiones ex professo, & copiosè pertractat, ac duplicem hunc tractatum in vnam quandam scientiam totalem, more vnius in scholis tradi solitam congerit; eam, inquam, ita vsurpatam, atque ex vsu, & doctrina commistam, partim esse practicam, & partim speculatiuam, etiam si quæ est in ea speculationum paucitas, contra verò numerus cognitionum operi, ac praxi incumbendum, magis dicenda sit practica quam speculatiua, imò multoties absolute, & simpliciter practica; propterea, quod non speculetur, nisi quodammodo praxis gratia, & hæc sit præcipuus finis, quem sibi proponit, & in quem

42

quem speculationes suas refert, atque contendit.

Primæ assertioni nostræ fauent authores, quos cap. præc. pro secunda sententia laudauimus: eorumdem etiam non pauci, secundæ, & tertiæ assertioni nostræ suffragantur. Et quidem merito: par enim harum & illius causa: si enim logica docens est omnino practica, quidni utens? quæ eam includit, & ei superaddit solum respectum, quo ad alias scientias concurrat influitque; hic autem concursus & influxus, quo differt à docente, non tollit quo minus eius instar sit practica, imò ad hanc denominationem illi tribuendam magnopere conducit. Rursus, si logica docens, quia præcipit in communi practica est, certè ea quæ præcipit in particulari aut, quod iuxta esse duximus, vititur, eo magis erit practica, quo actionem propius & vicinior respicit: illa ergo si omnino practica, certè & hæc potiori iure. Quocirca probata prima assertionem nostram, duæ sequentes una, eademque opera probata manebunt. Quod autem attinet ad quartam assertionem nostram, ea sponte sua claret: cum enim dico, hic actus homo est animal rationale, v.g. à me elicitus est bona definitio, & genere constat, atque differentia; huiusmodi reflexa cognitio quam dialecticæ vteni adscripsimus, duplicem respectum habet, alterum ad primam productionem eius definitionis, alterum verò ad illius conseruationem: ex priori respectu talis cognitio non est practica, sed speculatiua, ob id quod primam productionem definitionis illius supponat iam exercitam, & consequenter ad eam exercendam siue exequendam dirigit: ex posteriori autem est practica, quoniam ad supradictam definitionem conseruandam mouet: ideo enim conseruare possum, & soleo definitionem à me semel elicitam, quia illam esse bonam mihi persuadeo.

43

Reliquæ verò assertiones nostræ vacant prope modum omni difficultate; atque earum probatio in superioribus est multoties tradita. Proinde ut dixi totum negotium nostræ sententiæ deuoluitur ad primam assertionem, qua statuimus logicam docentem omnino practicam, & nullatenus speculatiuam esse. Quod igitur ita se res habeat, hunc in modum probatur. Dialectica tantum respicit instar obiecti secundas intentiones, internas, externasque, nimirum cognitiones, aut voces; vel certè primas intentiones, siue res propter secundis subsunt, ab illisque rationem subiecti, prædicati, mediij, extremi, generis, speciei, propriij, definiti, diuisi, demonstrati, aliamve similem accipiunt. Atqui nihil horum est, respectu cuius logica docens non sit practica: omnino ergo, & respectu cuiusvis sui obiecti practica est, adeoque nequaquam speculatur. Consequentia per se, maior ex dictis tra. 1. Minor autem suadet, quoniam ut videbimus in metaph. eo ipso quod cognitio aliqua vel facultas sit directiua ad effectiorem actum intellectus sibi per reflexionem quandam obiectorum, hi erunt praxes, & illa practica: par ratio est vocum: patrum ut subsunt quibusdam denominationibus effectiioni obnoxii. At logica docens dirigit ad artificiosam effectiorem actum intellectus, & vocum, necnon etiam rerum in esse intentionali, & penes denominationes subiecti, prædicati, definiti, diuisi & ceteras similes: igitur ergo omnino practica & nil speculationis habebit. Illud autem huic probationi solum obstat, quod logica multas definitiones, diuisiones, & alias secundas intentiones consideret, à cognoscente inestimabiles, idque per se, & non ex accidenti: item quod vix intelligi possit, aut explicari, quo pacto res actibus nostris obiectæ rationem praxis obtineant, aut, quod instar est,

quomodo logica respectu illarum practica esse queat. Vnde.

Obiicies primò, dialectica docens res habet pro obiecto formali: docet enim, quatenus propositio sit faciendæ ex subiecto, & prædicato, definitio ex genere & differentia, argumentatio ex medio & maiori ac minori extremo, esse autem subiectum prædicatum, genus, medium, extremum, aut rebus conuenit intuitu nostrorum actuum, aut his intuitu rerum: has igitur logica docens respicit, earum autem respectu actiua seu practica esse nequit: nam res actibus nostris subtrata sunt Deus, Angelus, cælum, elementa, & similia: aliquid igitur obiectum non practice respicit.

44

Occurendum tamen huic obiectioni; ut cognitio aliqua sit practica respectu alicuius obiecti, satis esse ut dirigat ad alterutrum è duobus, vel ut fiat obiectum, vel ut aliquid circa obiectum fiat: at dialectica dirigit, ut aliquid circa res fiat, videlicet ut definiantur, diuidantur, demonstrantur, aut alio quouis modo verè cognoscantur: igitur respectu rerum practica erit. Maior probatur primò: quia cognitio ita directiua non sinit in sola contemplatione obiecti velut sine, sed ulterius ad aliquid circa illud efficiendum progreditur & ordinatur: solius igitur huius efficacis & directionis beneficio practica erit. Secundò quoniam cognitio qua architectus ligna, lapides, camenta & reliquam materiam domus cognoscit, practica est, respectu materiæ cognitæ: at non alia ratione, nisi quia ad aliquid circa illa efficiendum dirigit, atque quatenus ex ea domus fieri artificiosè debeat, exprimit. Quod autem ea cognitio circa materiam domus practica respectu illius sit, conspiciendum est: quia alias ars construendæ domus non esset omnino practica, sed quadantenus speculatiua, quo nihil dici potest incertius. Huic doctrinæ aperta ratione fauet, præter innumeros alios, P. Fonseca lib. 2. metaph. cap. 3. quæst. 2. sect. 4. parum ab initio, his verbis: *Dicimus artem fabrilem esse practicam, quia & ligna quæ sunt eius materia; sunt res naturales, & à physico tractantur; tamen quia tractantur directiue ab arte fabrilis, ut de eis fiat hoc pacto scammum, illo autem mensa, &c. ideo non est contemplatiua sed practica.*

45

Idem paulò aliter explicò. Logica docens dirigit, ut res fiant intentionaliter siue in esse obiectiuo definiti, diuisi, &c. at ea directio ad notitiam practicam etiam rerum satis superque est: ergo. Minor probatur, quia quod illud fieri sit improprie & metaphorice fieri, non obest, quo minus notitia sit verè practica, respectu rerum quæ ita fiunt: talis igitur est censenda: Antecedens suadet, tum quia ut supra sæpe sapius doctum, prudentia in Deo strictè practica est respectu cæterarum eius virtutum moralium, quarum tamen actus ab ea directi, solum improprie & intentionaliter siue ut alij loquuntur, grammaticaliter fiunt & aguntur: tum etiam, quia ars non solum est circa constructionem rerum, verum etiam non raro circa earum destructionem, ut cernes in militari, venatoria & similibus, quæ magnæ ex parte ad destruendum tendunt, & hunc sibi finem præstunt. Atqui ars destruendi etiam rerum practica est, talemque eam esse, nemo quem viderim inficiatur: cognitio igitur aliqua practica est intuitu destructionis, cum tamen destructio improprie tantum fieri dicatur, & potius non fiat quam fiat, atque adeo logica docens practica erit respectu rerum, quæ ex directione illius improprie intentionaliter, aut in esse obiectiuo fiunt. Dices, eodem argumento confici posse, visionem beatam

46

practi

practicam esse respectu Dei amati, cuius tamen contrarium cum communi sententia aduersus Scotum suo loco ostendimus: sequela in aperto esse videtur, quoniam visio beata dirigit, ut aliquid circa Deum fiat, nimirum amor beatificus, siue, quod iuxta est, ea dirigit ut Deus in esse obiectiuo siue amato fiat quodammodo. Respondeo, ad notitiam practicum opus esse, ut id quod fit vi illius, quatenus fit, siue ut id quod circa materiam ei subiectam vi illius fit, ab ea cognoscatur; alias praxis, quae praxis est, non esset obiectum cognitionis practice, contra quam in tempore docebimus; amor autem beatificus, seu Deus in esse amato a visione beata, prout beata est, non attingitur; haud enim beat nisi Deum vident. Proinde in nostris principiis visio beata respectu Dei aut amoris diuini practica non est.

47 Tertio idipsum explico & confirmo. Quemadmodum praxis debet esse factibilis secundum se, ita debet esse factibilis a cognoscente, per se utique, & nisi aliud ex accidenti eueniat non debet esse simpliciter & proprie factibilis a cognoscente: igitur neque secundum se proprie factibilis esse debet, ac proinde esto res tantum improprie & in esse obiectiuo factibiles sint, adhuc praxes esse poterunt, & dialecticam practicum nominare. Maior constabit ex dicendis in met. 6. tractatu 5. c. 3. uti disceremus. Minor probatur, quoniam medicus absolute & simpliciter proprie sanitatem non facit, quae tamen praxis est & medicinam practicum denominat: quod de medico dictum est, perspicua ratione constat: tum quia is tantum mediatè sanitatem causat: huiusmodi autem causalitas & mea & aliorum plurium iudicio semper impropria est: tum etiam quia ita mediatè ad sanitatem concurrat, ut non causam aliquam eius productiuam producat, sed tantum applicationem talium causarum, quae sicut non facit sanitatem, sed duntaxat est conditio sine qua eam medicamina neutrquam facerent, ita merito illius ars medendi eiusque professor sanitatem absolute & proprie non efficiunt. Idipsum potest aliarum artium exemplo declarari.

48 Iterum obiciet, aduersus primam assertionem nostram: Hic actus, definitio constat genere & differentiali par autem ratio cuiusvis alterius regulae dialecticae attingit ex parte obiecti ut aiunt definitiones Angelicas, quae non sunt ab homine factibiles, & similiter plures definitiones humanas, quae etiam a cognoscente fieri non possunt, si intellectus consistat, ut plures, & quidem probabiliter, censent, non in qualitate absoluta, sed in modo essentialiter illigato ei, cui semel inest, sic ut inde nulla vi diuelli queat, aut alibi collocari: Igitur superadictus actus aliqua ex parte speculatiuus est: attinet autem proculdubio ad logicam docentem: atque aded hanc non est omnino practica.

49 Ad hanc objectionem dicendum est, ut actus ille quem opponit, sit omnino & adaequatè practicus, sufficere ut definitio absolute & simpliciter sumpta sit factibilis a cognoscente, tametsi hanc vel illa definitio, Angelica scilicet aut alterius hominis, ab eo fieri nequeat. Quod in hunc modum suadeo, & explano: actus intellectus practicus dici nequit ab obiecto implicito sed a solo explicito siue expresso: at ille actus habet pro obiecto explicito definitionem absolute & simpliciter sumptam, quae a cognoscente factibilis negari nequit; & pro obiecto implicito definitionem huius destinatae speciei, aut indiuiduationis, quae fieri nequit a cognoscente; actus igitur ab hac minime speculatiuus dici poterit, sed duntaxat practicus a ratione illa praecisa definitionis ex-

plicitate cognita. Maior constat, quia alias hic actus, Deus est summum bonum, foret practicus, quod & falsum est, & contrarium multis eorum quibuscum disceptamus: etenim actus ille implicite & virtualiter cognoscit Deum esse summe amabilem, siue amandum, ac proinde eius amorem elici posse & debere: igitur aut obiectum implicite cognitum non specificat notitiam practicum, aut is actus practicus erit respectu diuini amoris, quem etsi non expresse, at implicite & latenter cognoscit.

50 Respondeo secundo, cum dicimus logicam docentem omnino & adaequatè practicum, id accipiendum seruata ut aiunt proportionem; si videlicet logica humana cum modo sciendi humano, & Angelica cum Angelico, & logica huius indiuidui cum modo sciendi eius proprio comparatur: Nec vero aliud opus, ut logica docens absolute & simpliciter dicatur omnino practica: idcirco enim Petrus v. g. (quem disputandi gratia supponamus realiter a suis partibus indistinctum) absolute & simpliciter dicitur eiusdem prorsus speciei cum Paulo, quia partes omnes utriusque tum essentielles, cum integrales sunt eiusdem speciei, si cum proportionem sumantur, & corpus cum corpore, anima cum anima, pes cum pede, oculus cum oculo, & brachium cum brachio conferantur, esto partes utriusque sint diuersae speciei, si sine ea proportionem accipiantur, & anima vnius, cum corpore alterius, & pes cum oculo, & oculus cum brachio contenduntur. Quare eodem ritu logica docens omnino practica erit, eo quod nullum actum habeat non practicum, si partes scientiae cum partibus obiecti componantur.

51 Repulimus duas superiores obiectiones, quibus nostrae sententiae fundamentum petebatur: reliquum est, ut quae alio nomine negotium facessunt, eas reiiciamus. Obiciet igitur tertio, logica docens considerat definitionem, diuisionem argumentationem, & similia, non in particulari, sed in communi: Atque cognitio rei quantumvis operabilis, si tamen eius sit in communi, hoc ipso est speculatiua; igitur, &c. Maior cum sit indubia, suadet minor, tum ex B. Thoma, 3. de an. text. 47. tum etiam, quia mathematica considerat naturam & proprietates quantitatis continuae, sic ut ad huius effectiorem ea consideratio multoties conferat: qua ratione statuitur l. 1. Euclidis theorema 22. propositio 32. triangulum esse, qui habet tres angulos aequales duobus relictis. Rursus quod plus, docet ac praecipit multoties, aliquid construere, v. g. eod. l. 1. Euclid. probl. 1. propositio 1. super data recta linea terminata triangulum aequilaterum constituere: Porro tota mathematica huiusmodi theorematum & problematum constat: ad haec enim propositiones & lemmata reducuntur: nihilominus ea tota est omnino speculatiua, & nullatenus practica, propterea quod quantitatem, duntaxat in communi consideret; consideratio ergo in communi rei etiam operabilis nequit non esse contemplatiua.

52 Respondeo, etiamsi cognitio rei in communi eo ipso sit improprie & late speculatiua; at si res ad viuum resecetur, non semper eam speculati, sed practicum haud raro esse: cuius argumentum me iudice manifestum est, quod artes omnes practicae, ut musica, rhetorica, venatoria, fabrilis & cetera id genus, communia solum praeccepta tradant, eaque ad particularem materiam, & indiuiduum opus non applicent, prout docent, sed tantum quatenus utuntur. Arist. autem & B. Thom. cap. seq. explicabuntur. Matheseos exemplum non vrget: etenim super id quod probabile est, hanc facultatem esse

esse quadantenus practicum, quia si non omnia, nec pleraque, quae cognoscitur, at aliqua potest exequi, ut in metaph. lib. 6. tract. 5. cap. 2. exponemus, facile à nobis saluis nostris principiis reddi potest ratio, iuxta dicenda loco nuper citato, cur mathematica sit omnino speculatiua, & non practica, ut tanquam magis verisimile ibid. amplectemur: Nam executio trianguli: v. g. est adeo facilis, & plerumque adeo inutilis, ut non sit operæ pretium, non sufficiens finis theorematum mathematici, quo eius natura & proprietates summo ingenio & artificio demonstrantur: par est ratio cuiusvis alterius theorematum: par cuiusvis problematis: quando ergo notitia practica executionem sui obiecti velut finem respicit; nil mirum si mathematica non sit practica, sed speculatiua; quin ad huius rei reddendam rationem oporteat configere ad vniuersalitatem illam, qua obiectum suum repræsentat.

53 Bene verum est, constructionem trianguli, aut circuli, alteriusve figuræ, in certa quadam ac sensibili materia eius aliquando vtilitatis esse, ut propter eam veluti finem, cognitio qua attingitur, quantumlibet exquisita, merito tamen possit expeti: ut, v. g. cum ad obtinendam victoriam, in vnam figuram potius quam aliam acies formari debet: cæterum cognitio ad materiam sensibilem ac militarem ita descendens, haud est mathematica, etiam latè & secundariè, ut author est Clavius noster in prælegomenis ad elementa Euclidis, ubi communem Procli & aliorum opinionem sequens docet mathematicam primariam duplicem esse, geometriam videlicet & arithmetica, prout in intellectibus & ab omni materia sensibili separatis positas: secundariam verò sextuplicem esse, nimirum astrologiam, perspectiuam, geodesiam, musicam, supputatricem, atque mechanicam, siue machinarum effectricem. Militarem autem artem, ut ait ibi, eam inquam, quæ ad instruendas coordinandasque pertinet acies, quam Greci *taxillus* vocant, vnam aliquam ex mathematicis partibus dicendam esse non censent, antiqui scilicet: & tandem subiungit, ille etiam qui aciebus instruendis operam accommodat, mathematicis quidem vteretur theorematibus, nec tamen ob hoc erit mathematicus, quamvis interdum quidem volens eam, quæ numerosa est paucissimam ostendere multitudinem, castra suosque exercitus ad figuram circuli formeret; interdum verò ad figuram quadranguli, quinqueanguli, vel alterius cuiusdam multanguli, ubi plurimam apparere cupit.

54 Obiiciens denique quarto: logica docens agit de signo in communi, eiusque naturam explicat: ea consideratio speculatiua est, non minus quam cognitio entis in communi, aut trianguli ut sic, quæ ad metaphysicam & mathematicam spectat: quæ enim vtrinque potest discriminis ratio afferri. Verum in primis probabile est quod aliqui docent, accuratam signi tractationem attinere, non ad logicam docentem, sed ad metaphysicam: tum quia signum in communi abstrahit à triplici materia intelligibili, sensibili & indiuidua, quæ sub abstractione metaphysica tendere communiter censetur: tum etiam quia sicut de variis speciebus entis variæ scientiæ differunt, ita similiter de variis speciebus signi, nimirum Theologia de signis practiciis gratiæ, qualiæ sunt Sacramenta; astrologia de signis tempestatis & maliciæ: medicina de signis prosperæ & aduersæ valetudinis: grammatica & rhetorica de signis externis & vocalibus: logica potissimum de signis internis & intellectualibus, &c. Sicut igitur metaphysica velut scientia quædam superior, & architectonica de ente in communi disserit, ita etiam &

de signo in communi; quantumvis de eo occasionaliter in dialectica agatur & ab ea veluti mutuo accipiat. Respondeo secundò, tamen ad logicam spectet agere de signo in communi, id quæ ex professo, eo quod tota ferè posita sit in explicandis signis nec quibuscunque, sed nobilissimis & spiritualibus horumque notis externis; cæterum eam differere de signo in communi, eiusque naturæ proprietatibus, & speciebus, non prout est docens, nulla enim doctrina opus ad effectum signi absolute & simpliciter sumpti, sed prout est vtens, quæ ratione cum de ente ut sic, deque prædicamentis decem agit, respectu sui principalis obiecti, non docens sed vtens censetur. Quantumlibet ergo cognitio signi in communi, eiusque proprietatum, &c. sit speculatiua instar eius quæ ens à metaphysica & triangulus à mathematica cognoscitur, exinde tamen haud fiet, logicam docentem aliqua ex parte contemplari, aut praxi deesse. Alia argumenta aduersus nostram sententiam relata & reiecta habes c. præc. quæ hic idcirco prætermitto.

CAPVT VI.

Solutio authoritatum aduersus nostram sententiam & contraria aliqualis defensio.

Obiiciunt primò aduersarij Aristotelem, ut refert Lærtius in eius vita, censuisse logicam esse contemplatiuam: nec credi par esse, quod aiunt Conimbr. hoc Lærtium de eo finxisse. Obiiciunt secundo B. Thomam secunda secundæ quæst. 47. art. 2. *Ratio speculatiua quadam facit, puta syllogismum, propositionem, & alia huiusmodi.* Et 1. 2. quæst. 57. art. 4. ad 3. *etiam in ipsis speculabilibus, est aliquid per modum cuiusdam operis, ut puta constructio syllogismi, aut orationis congrua, aut opus numerandi, & ideo quicunque ad eiusmodi opera rationis habitus speculatiui ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes.* At constat logicam docentem in syllogismis, propositionibus, & aliis id genus construendis positam esse, quin ergo sit speculatiua iuxta B. Thomam, nullo potest iure negari. Obiici etiam potest B. Damascenus, cap. 48. *dialect. Sciendum demonstrationem esse logicæ speculationi: quidni ergo iuxta ipsum definitio similiter diuisio, & quiuis alius sciendi modus à logica speculatiue considerentur.* Opponi quoque potest Porphyrius in præf. ad prædicabilia, *de istarum rerum speculatione compendiosam tibi traditionem faciens, &c.* At non est, quamobrem Ilagoge Porphyrij speculatiua sit, potius quam reliqui tractatus dialecticæ facultatis.

Pro explicatione horum, & similium testimoniorum, neque quali quali oppositæ sententiæ defensione animaduertendum est, practicum & speculatiuum dupliciter sumi posse & solere: primo propriè & strictè, quo sensu vbertim explicanda sunt à nobis in metaph. & in eo authores nuper adducti minime loquuntur, atque in eo logica omnino practica est: secundo latè & impropriè, & hoc sensu dialectica quodammodo speculatiua est, eumque & non alium authores nobis paulò superius obiecti intendunt. Quod autem practicum & speculatiuum impropriè ac latè ab authoribus accipi solet, idque multis variisque modis, constabit ex eorum testimoniis, quæ hic referre non grauior.

Primo ergo accipi solet actus speculatiuus pro omni & solo intellectus actu, siue aliàs practicus sit siue non. Ita Aristoteles, 3. de anima textu 45.

Intellectus